

60

NUMISMATA URBIUM

jam coctam repetere, instituti ratio prohibet, ipsum tamen Dialogum communicabo, ubi nostrae contemplationi finem imposuero. Cayco Hermoque superatis Mæoniam intramus. En

MÆONES
DIANÆ EPHESIAE DEVOTI.



ΔΗΜΟC in Nummo legitur, inquit ARCHÆOPHILUS, quis autem dijudicet, an Mæonum intelligendus? an Romanus? Nullum Romani vestigium est, respondit DULODORUS, indeque potius pro Populo Mæonum decernerem, eodem jure, quò & Harduinus in aliis non Romanum intellexit, sed eum apud quem Numisma percussum fuit; Quidni enim potuerit Populus hic liber fuisse? atque ita in Nummis, Romanæ potestatis insignibus abstinuisse? Libertatem sanè spirat elegantissimum hoc Populi caput, cujus gloriam simul & sub laureâ Tibi imaginari poteris. Gloria, excepit ARCHÆOPHILUS, nescio an tanta fuerit, cum utique à Cyro devicti Mæones, cauponas deinde exercuerint, adeò ut potius voluptates sub hoc venustulo capitis ornatu contemplerer; Sed ad Dianam Ephesiam transeo, quam à Mæonibus cultam, nisi in hoc Nummo cernerem, sanè vix credidissem. Dianam Ephesiam, respondit DULODORUS, non Ephesi tantum, sed & aliis in Asiæ urbibus in veneratione fuisse, ex Nummis indubium est. Exempla prostant apud Reverendissimum Harduinum in Geogr. ex quibus Philadelphenses Lydiæ producere placet, eò quod Lydos, non olim tantum Mæones dictos ex Herodoto constat, sed quod idem nomen etiam posterioribus temporibus manserit, ut Numismata testantur. Inde Stephanus ΜΑΙΟΝΙΑ Η ΑΤΑΙΑ. Lydiæ Metropolis fuere Sardes. Ibi

SARDIANORUM
BACCHUS ET LEO.



Se offerunt. De Baccho, excepit ARCHÆOPHILUS, res ex iis clara est, quæ Tomo primo ad Sardonorum Numismata protulisti. Quid autem Leo? An